



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Titulus IV. Qualis Lex esse debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

général, comprend tout ce qui sert à conserver la Religion & l'Etat, & le Droit des Particuliers, qui les regarde tous également, & qui sert à régler leurs Droits, & les différens qu'ils ont les uns avec les autres.

Sequitur 26. Utrumque Jus confundendi occasionem dare, qui Jus Privatorum, Juris Publici nomine donant, idè quod omnibus commune sit. Et maximi refert illa distinguere, hoc nomen reservando Juri, quod regit commoda Reipublicæ, quodque proximè & immediatè respicit utilitatem publicam, cui non confert Jus privatorum, nisi medio commodo Privatorum, quod immediatè spectat.

Sequitur 30. quod, cum Religio sit prima pars Juris Publici, quidquid illam lædit, Juri Publico adversatur; idèque, cum boni mores ad Religionem spectent, Pacta & Conventiones his contraria præcipuè continentur in Regulâ, *Pacta privatorum, juri publico derogari non potest.* In quo Principes sive Spirituales, sive Temporales, potioris conditionis non sunt, quàm alii homines; quia, quoad Religionem illiusque authorem, ad instar Privatorum sunt.

4º. Ex factâ supra enumeratione eorum, quæ sunt Materia Juris Publici, patet, omnes ferè Tractatus, quibus constabit *Secunda Pars* hujus Operis, ad Jus Publicum quodammodo pertinere, ut in illis prout opus erit, ostendatur; idem dicendum de posteriori Parte Partis Primæ: Proindèque specialem de illo tractatum necessarium non esse, sed præcedentes Observationes & Considerationes abundè sufficere, ad hoc, ut faciliè discernatur à Jure Privatorum, cum quo nonnunquam confunditur; quod illarum præcipuus scopus fuit.

TITULUS III.

Quid est LEX?

I. LEX est Constitutio scripta: DIST. I. Cap. 3. *Lex.* Divinitus & humanitus sancitas, Divinas & Humanas Leges vestra devotio & dignitas observare curabit, si & in cœlesti regno, & in terreno feliciter cupitis prosperari. *Concil. MELD. An. 845. Can. 26. CONC. Tom. VII. p. 1829.*

II. CONSTITUTIO LEX est in scriptis redacta, sive Jus. DIST. I.

III. LEX erit omne jam quod ratione constiterit dumtaxat quod Religioni conveniat, quod Disciplinæ congruat, quod saluti proficiat. DIST. I. Cap. 5. *consuetudo §. ult. porrò, fin.*

III. Omnes Leges aut Divinæ sunt aut Humanæ DIST. I. Cap. 1. *omnes.*

V. Leges Ecclesiasticæ, Leges Vulgares & Publicæ, CAUS. XXXIII. *Quæst. 11. Cap. 3. historia.*

VI. Constitutio alia est Civilis, alia Ecclesiastica, DIST. III. *Prima Parte §. omnes species.*

VII. Ecclesiastica Constitutio Canonis nomine censetur, & dicitur Jus CANONICUM, & aliquando Jus DIVINUM. *ibid. & in 6º. de Privilegiis cap. cum de diversis. LIB. V. TIT. VII. Cap. 2.*

VIII. Constitutio Civilis, vel Edictum est, quod Rex, vel Imperator constituit, vel edicit. DIST. II. Cap. 4. *Constitutio.*

IX. Duæ sunt Leges, una Publica, altera Privata; CAUS. XIX. *Quæst. 2. Cap. 2. Duæ init.*

X. Publica LEX est, quæ à Sanctis Patribus scriptis est confirmata, ut est LEX Canonum, quæ quidem propter transgressiones est tradita *ibid.* LEX Privata est, quæ instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur. *ibid. §. Lex. init.*

XI. Dignior est LEX Privata, quàm Publica, *ibid. med.*

TITULUS IV.

QUALIS LEX ESSE debeat.

ERIT LEX honesta, justa, possibilis, secundum natu-

ram, secundum Patriæ consuetudinem, Loco Temporice conveniens, necessaria, utilis. DIST. IV. Cap. 2. *erit.*

LEX non debet esse obscura, vel captiosa, sed certa & manifesta de Verborum significatione. *Cap. Abbate §. penultimo, contrà quod fin. DECRETAL. LIB. V. TIT. XL. Cap. 25.*

Erit manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat. *ibid.*

Nullo privato commodo, sed præd communi civium utilitate sit conscripta. *ibid. fin.*

Qui Legem fert ad commune commodum & aliorum profectum intendit in 6º. de Privilegiis, *Cap. cum de diversis init. LIB. V. TIT. VII. Cap. 2.*

Factæ sunt Leges, ut earum metu Humana coercetur audacia; tutaque sit inter improbos innocentia, DIST. IV. Cap. 1. *facta init.*

Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis, CAUS. XIV. *Quæst. 1. Cap. 3.*

Constitutio nihil debet obscurum vel ambiguum continere, de Const. Cap. quoniam LIB. I. DECRETAL. TIT. II. Cap. 13.

Ait Romana autoritas, quæcumque Leges sine die & Consule fuerunt prolata, non valeant. *Inter fragmenta Conciliorum Tom. II. CONCIL. p. 1233. Capite, debent fin.*

Idè LEX ponitur, ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honestè vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, informatur. GREGOR. IX. in Premio DECRETAL. §. 1.

Effrenata cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium, jurgiorum, quotidie nova litigia generat, ut, nisi justitia conatus ejus sua virtute reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abusus extingueret; in *Pram. DECRETAL. post initium.* Pravorum severitas extirpatur, dum canonica instituta ad agnitionem eorum observanda modis omnibus deducuntur, ita scilicet, ut, quæ sunt aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, nullus his contradicere audeat, nullus reverberare præsumat, nullus non implere contendat. *Concil. TOLET. 16. An. 693. Cap. 7. Tom. VI. CONC. p. 1342.*

LEX, seu Constitutio, & Mandatum nullos adstringunt, nisi post quàm ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus intrà quod ignorare minimè debuissent in 6º. de concessione Præbendæ, &c. *Cap. quia cunctis §. 2. nec obstaret LIB. III. TIT. VII. Cap. 1.*

Leges instituuntur, cum promulgantur; firmanur cum moribus utentium approbantur. DIST. I. Cap. 1. *§. leges.*

Quæ Legibus constituta sunt nec communi usu approbata, se non observantes transgressionis reos non arguunt. *ibid. §. hæc.*

Non est necessarium cum Constitutio solemniter editur aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus, per speciale mandatum, vel litteras inculcare. *De Postulatione Cap. ad hæc LIB. I. DECRETAL. TIT. V. Cap. 1. §. quod non sufficit.*

Id solùm sufficit, ut ad Constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam. *ibid. de Postulatione. Cap. ad hæc. LIB. I. DECRETAL. TIT. V. Cap. 1. §. quod nec sufficit.*

Quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse. CAUS. I. *Quæst. 7. Cap. 7. quod pro, init.*

Constitutiones, quas diuturnitas temporis observavit, & usus consuetudinis hæctenus approbatæ retinuit, temeritate qualibet ne infirmetur. *de Consuet. Cap. ex litteris in integro LIB. I. DECRETAL. TIT. IV. Cap. 2. scriptum est patere Legem quam ipse tuleris & alibi.*

Quod

Quod quisque juris in alterum statuerit, ipse eod. jure utatur, *Pragm. Sanctio, de CAUSIS, TIT. II. §. 13. fin.*

TITULUS V.

DE DISTINCTIONE LEGUM *petitâ ex Distinctione POTESTATUM quibus competit illas condere; nempe Sacerdotii, & Imperii, CANONES ex CORPORE JURIS vel aliundè deprompti.*

I. Mediator Dei & Hominum homo CHRISTUS JESUS, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantum modò rerum Imperialibus legibus uterentur. *DISTINCT. xcvi. Cap. 6. cum ad §. fin. desumitur à NICOLAO I. Refertur idem locus cum Gelasii Canone infra adducendo in Concilio apud S. Macram in Dicecesi . . . Rhemenfi, Ann. 881. Cap. 1. TOM. IX. CONC. p. 337. ubi circa hanc Distinctionem alia notatu digna adjiciuntur.*

II. Ideò Pontifex militans Deo minimè se negotiis secularibus implicare debet, ac vicissim non ille rebus Divinis præsidere, qui est negotiis secularibus implicatus: *ead. DIST. &c. Idem habetur, in eodem Concilio & Canone.*

III. Novæ Pedagogorum exactiones sine autoritate & consensu Regum & Principum non sunt imponendæ: *de Censib. Cap. Innovamus. LIB. III. DECRETAL. TIT. xxxix. Cap. 4.*

IV. Ad Regem pertinet non ad Ecclesiam de possessionibus bonorum temporalium judicare. *Qui filii sint legitimi Cap. Causam 2. LIB. IV. DECRETAL. TIT. vii. Cap. 7.*

V. Ecclesia non vult juri Regum detrudere, in rebus quæ ad ipsorum judicium pertinent. *ibid.*

VI. Constitutio Laicorum circa res Ecclesiæ, seu venditio fundorum Ecclesiasticorum sine legitimo Clericorum consensu, non valet. *de Constitutionibus, Cap. quæ Ecclesiarum. LIB. I. DECRETAL. TIT. II. Cap. 7.*

VII. Etiam si talis Constitutio respiciat commodum & favorem Ecclesiarum, nisi fuerit ab Ecclesia approbata, non valet. *ibid. Cap. Ecclesia, seu LIB. I. DECRETAL. TIT. II. Cap. 10. Similes Canones referuntur in Regulis circa Constitutiones, & explicantur.*

VIII. Laicis Ecclesiæ præjudicium afferentibus Ecclesia vult moderatâ autoritate resistere. *De Privilegiis. Cap. sicut colligitur, cum GLOSSA p. 170.*

IX. Sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum sunt, sed Pontificum, quæ tunc debent dogmatifari. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices à Reipublicæ negotiis abstinentes &c. *Epist. GREGORII II. an. 726. ad Leonem Imperatorem: CONC. TOM. VII. p. 18. circa medium.*

X. Semper decuit ac bonum Deo visum est totum mundum à duobus Ministris regi optimè, ac gubernari, Sacerdote & Rege scilicet, *Convent. Melod. TIT. XVI. Art. 1. fin. 1579.*

XI. Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur, autoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. *DIST. xcvi. Cap. 10. duo sunt &c.*

XII. Refert inter Pontificis & Principis unctionem quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur, ut ostendatur, quanta sit differentia inter autoritatem Pontificis & Principis potestatem. *De Sacra unctione Cap. unic. LIB. I. DECRETAL. TIT. xv. Cap. un. 2. parte §. unde.*

XIII. Laicorum & Ecclesiæ distincta est jurisdictio. *De Privilegiis Cap. sicut colligitur, GLOSSA LIB. V. DECRETAL. TIT. xxxiii. Cap. 2.*

XIV. Lege Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controversis utendum est, præsertim cum inveniuntur Evangelicæ & Canonice sanctioni aliquoties obviare, Lex Imperatorum non est supra Legem

Dei sed subter. Imperiali Judicio non possunt Ecclesiastica jura dissolvi. *Cap. 1. DIST. x.*

XV. Constat Ecclesiam peregrinantem duabus præsentialem Personis gubernari, Sacerdotali scilicet, ac Regali; quatenus autoritate Episcopali atque Imperiali censurâ, intrinsicè & extrinsicè circumseptâ liberius modum proprium valeat conservare. *Conc. AQUISGR. II. An. 836. post Can. 25. TOM. VII. CONC. p. 1726.*

XVI. Ubi Ecclesiastica potestas deficit, ad sæculares recurratur potestates. *DIST. xvii. Cap. 4. nec licuit, fin. GLOSS. colligit ex his verbis, ne obstinati aliorum perditio esse possint, secundum Canones per sæculares comprimi potestates. De eodem ad Principes Recursu sermo fit, in Can. 19. Can. 11. Quæst. I. eruto ex Conc. CARTHAGIN. III. An. 397. celebrato.*

XVII. Ubi Ecclesia per se proficere non potest, invocandum est auxilium sæculare. *De Clerico excommunicato ministrante. Cap. si quos. fin. GLOSS. colligit verbo, Regis judicio. LIB. V. DECRET. TIT. xxvii. Cap. 2. GONZAL. in hunc locum n. 2. notat id, quod hic dicitur, de recurso ad Regis judicium, desumi ex Conc. VERNENSI C. 9. sub PIPINO An. 755.*

XVIII. STEPHANUS V. *Epistol. I. ad Basilium Imperat. Tom. IX. CONC. p. 366. manus regie non subjicitur Sacerdotalis & Apostolica nostra dignitas; licet enim ipsius Christi imperatoris similitudinem in terris gerat, rerum tamen mundanarum & civilium tantum curam gerere debet.*

XIX. *Epistola HENRICI, Regis Romanorum, ad Gregorium VII. anno 1073. TOM. X. CONC. p. 29. regnum & Sacerdotium ut in Christo ritè administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigent.*

XX. *Conc. PARIS. VI. Cap. 3. An. 829. TOM. VII. CONC. p. 1599. post relatum locum Gelasii supra laudatum, addit ex S. Fulgentio, quantum pertinet, inquit, ad hujus temporis vitam, in Ecclesia, nemo Pontifice potior, ac in sæculo, Christiano imperatore nemo celsior invenitur.*

XXI. *Conc. AQUISGR. II. An. 836. præfat. loquens de Ludovico Pio, hæc de potestate Principis circa res Ecclesiasticas, habet: Cœpisset secundum ardentissimam circa divinum cultum sibi cœlitus inspiratam voluntatem, multa congrua & necessaria de emendatione sanctæ Ecclesiæ . . . solerter ac curiosè pertrahere, supponens utramque potestatem, spiritualem & temporalem mutuo auxilio egere, præcepit ut sese invicem adjuvent. Conc. CABILLON. II. An. 813. Can. 20. CONC. TOM. VII. p. 1276.*

XXII. *Epistola GREGORII IV. ad Episcopos Franciæ. TOM. VII. CONC. Append. p. 1870. fusè explicat quid debeant Regi, quid Pontifici.*

XXIII. Ad firmamentum Cœli, hoc est Universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas, & Regalis potestas. *De Majorit. & Obed. Cap. solita §. 5. præterea LIB. I. DECRETAL. TIT. xxxiii. 6.*

Illâ potestas quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est: quæ verò carnalibus, minor. *ibid.*

XXIV. Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt Imperiale aliquod jus habere: *Caus. xxiii. Quæst. 8. Cap. 21. §. 4. Divus Ambrosius prius dixerat, quæ divina sunt imperatoris potestati non esse subjecta.*

XXV. Sacerdotium Imperii sanctificatio est, & Constitutio; & Imperium Sacerdotii fortitudo, & firmamentum; de quibus sapiens quidam Princeps & in Sanctis Regibus beatissimus . . . ait: „maximum donum Deus hominibus præstitit, Sacerdotium & Imperium, illud quidem adornans & regens, cœlestia, hoc verò gubernans legibus justis terrestria. *In Epistol. Episcoporum & Presbyterorum Orientis, TARASIO, Patriarche Constantinopolitano, Actione III. Concilii NICŒEN. II. p. 170.*